

quam toto semper ab Orbe mecum nostis esse servatam, » vide has epistolas in edit. Maur. Oper. S. August. Tom. 2, pag. 620 et 639, Paris. 1679. Citare hic etiam possem S. Gregorium Epist. 22, l. 7, tom. 2 Oper. col. 866 et sequi. Concil. Romanum anno 743, a S. Zaccaria Papa can. 3, Tom. 3 Collect. Arduini 1927. Sed brevitatis gratia hæc et alia prætereo. Cum ergo ea semper fuisset antiquissima consuetudo Romanæ Ecclesiæ, Benedictus XIV, considerans Congregationem Tridentini Concilii ad omnia sufficere non posse, aliam Congregationem Prælatorum Romanæ Curie instituit, sequenti Constitutione, quam pœne totam referemus; ex ea enim apparent varia hujus novæ Congregationis munia.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

(40. Decet Romanum Pontificem, pro divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum quæ Catholicæ Ecclesiæ utilia ac salubria sunt, et Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus consona, constituere: sed Evangelici Patrisfamilias exemplo, pro cuiusque ingenii, et facultatum viribus talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quæ decreta sunt, executioni prospicere.

Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor Noster per suas Apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*, decrevit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus BB. Apostolorum Petri et Pauli Limina personaliter ac per se ipsos visitaturos; legitimo autem impedimento detentos, per certum Nuntium Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum Pastoralis officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus præesent, Ecclesiarum statum quovis modo pertinentibus; et idem Sixtus Prædecessor deinde per consimiles literas, quæ incipiunt: *Immensa*: Congregationi S. R. E. Cardinalium super interpretatione, et executione Concilii Tridentini, demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem postulata audirent, et quæ per se possent ex caritatis et justitiæ norma expedirent; majora ad se suosque Successores referrent. Nos vero necessariis ac legitimis de causis animum nostrum moventibus, per literas nostras nuper emanatas, præfati Sixti Prædecessoris literas de Sacris visitandis BB. Apostolorum Liminibus, et omnia in eis contenta confirmavimus atque innovavimus; Præcipientes præterea, et mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, aliisque quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insignitis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, qui Monasteriis, seu Ecclesiis, quæ *Nullius* nuncupantur, cum jurisdictione spirituali, et Territorio separato, quocumque jure et titulo præficiuntur, ut antequam suorum Mo-

nasteriorum et respective Ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si præsentis Romæ fuerint, si autem absentes, in manibus Nuncii, vel Legati Sedis Apostolicæ, seu alicujus Catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi, se juramento obstringant, Sacras BB. Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos, vel, legitime impeditos, per certum eorum Nuntium visitaturos; et insuper certis præscriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum seu Ecclesiarum procuracione, aliisque omnibus, quæ ad ipsarum Ecclesiarum et Monasteriorum statum, Ecclesiasticam Cleri et Populi disciplinam, et Animarum salutem, et ad Divinum cultum, et gloriam pertinent, prout in singulis ejusdem Sixti Prædecessoris, ac nostris respective literis prædictis, quarum integros tenores hic pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autem, sicut Nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius quam optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento, et nonnullorum querela, postulata, quæ occasione visitationis Sacrorum Liminum fieri solent, audire, et responsa præbere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quo minus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romæ præsentibus, debitæ suarum Ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes, nec non Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum Archiepiscoporum et Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desiderii, quantum in Domino possumus, satisfacere, et sollicitæ literarum et responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhærentes etiam exemplis SS. Nostrorum Prædecessorum, e quibus B. Damasus Prædecessorem nostrum in chartis Ecclesiasticis juvisse, et Orientis Occidentisque consultationibus respondisse de se B. Hieronymus affirmat, ex certa scientia et Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine tenore præsentium perpetuo erigimus, instituimus et decernimus Particularem Congregationem nonnullorum Romanæ Curie Prælatorum a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus et officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorumdem Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Præpositorum, aliorumque tam Sæcularium, quam Regularium separatim Territorium habentium, et

jurisdictionem quasi Episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quæ in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum, vel Nobis directas, et a Nobis ad præfatam Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum Conventibus, et Particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis, et perpensis, quæ majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes prædictos, et deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis prædicta Particularis Congregatio habita non fuerit, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur; ut, votis eorumdem Cardinalium, et Prælatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus Provinciis, et Terrarum Orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiæ temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, et Episcoporum, aliorumque Præsulum postulatis, et desiderii obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum viri eligantur idonei, ideo Nos venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem, et dilectos filios Magistros in utraque nostra Signatura Referendarios Antonium Mariam Erbiam, Bartholomæum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum, in prædictæ Particularis Congregationis a Nobis, ut præfertur, erectæ, et institutæ Prælatos earumdem tenore præsentium deputamus, nominamus, et constituimus; eosdem autem Prælatos a Nobis, ut supra, deputatos, et a Romano Pontifice pro tempore deputandos, præfatæ Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentinæ Synodi Decretorum interpretum Apostolica auctoritate prædicta ita adjungimus, et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tamquam membra capiti in præmissis obsequantur, et in commisso sibi munere suffragentur. Proptereaque Nos eorumdem Prælatorum Particulari Congregationi Præfectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium Tituli S. Stephani in Monte Cœlio ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis prædictæ Cardinalium Decretorum Concilii interpretum pariter Præfectum, Secretarium vero Venerabilem Fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Præfecturâ, et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus, et deputamus. Insuper quia opportunum, et congruum arbitramur, ut is qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam præbet, de rerum tractationibus in particularibus prædictorum

FERRAR. II.

Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum prædictæ Congregationis Cardinalis Præfectus eidem Fratribus Episcopis, aliisque Præsulibus supradictis, eorumque potissimum postulatis diligentius, ac commodius possit satisfacere, volumus, et eadem Apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Aeneas Silvius Piccolomineus, qui nunc est, et qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum Epistolarum hujusmodi a Secretis, in eorumdem Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus locum habere, et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre, possit, et valeat.

Non obstantibus quacumque contraria consuetudine, quam ad præmissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus, et abolemus, et abrogatam, et abolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hæc omnibus innotescere possint, volumus, et mandamus, ut præsentium exempla etiam impressa, et manu Cardinalis Præfecti supradicti subscripta, ejusque Sigillo munita eadem ubique locorum fidem faciant, quam præsentibus facerent, si in medium exhibitæ essent, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Ordinationis, Decreti, Statuti, Erectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

P. Card. Prod, D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus

I. B. Eugenius.

Loco + Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

CONGREG. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

(41. Inter alias Congregationes, Sixtus V instituit etiam Congregationem Episcoporum et Regularium, cujus scilicet munus esset judicare de differentiis quæ oriri possunt inter Episcopos et Regulares. « Nec sane, inquit, minus de Regularium Ordinibus solliciti sumus, qui Ecclesiæ Dei magnum adjumentum atque ornamentum omni tempore præstiterunt, immo vero summopere cupientes, eorum salutaria studia, progressusque ad pietatem promovere, qui e fluctibus sæculi in portum regularis vitæ confugerunt, ob eam causam, ut remotis impedimentis, et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi Religionis jugo, et suorum institutorum observantia quiete vivant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant.

37

• Quinque alios Cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus, ut Regularium, Claustralium, Mendicantium, non Mendicantium, Hospitaliariorum, et Militarium possidentium, et non possidentium, cujusvis demum Ordinis sint, controversiis, dubitationibus, consultationibusque propositis respondeant. Causas vero, quæ inter ipsos religiosos oriri contigerit, juxta quarumcumque Religionum instituta, eorumque dispositionem, superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Episcopos, et Regulares dubitationes inciderint, quæ sub decretorum Concilii Tridentini dispositione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eandem Congregationem Concilii remittant. Audiant itidem, ac decendant prædicti Cardinales causas, et controversias inter prædictos Ordines vertentes, sive in universum, sive ratione particularium locorum, dummodo formam judicariam non requirant. Concedimus etiam ut dictis Regularibus, non laxiorem nec ad parem, sed ad arctiorem religionem transeundi, iis quos fervore spiritus incensos ad perfectioris vitæ statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumque Prædecessorum nostrorum decretis, licentiam dare possint. Apostatarum quoque, ejectorum, et præterea extra Monasteria degentium, aut vagantium causam iidem Cardinales audiant, et cognoscant, eosque coercendi potestatem habeant. Curent præterea visitationis Apostolicæ jussa, et Constitutiones editas a Romanis Pontificibus circa ipsos Regulares exequendas, et in usum introducendas. Provideant insuper Regulares laudatæ vitæ, zelo Dei, et salutis animarum, et prudentia spiritus præditos, institutorumque Regularium Ordinis, et laudabilium consuetudinum peritissimos, qui, cum necessitas exegerit, Provincias sui Ordinis, et non alterius, receptis a Nobis literis ad Omnipotentis Dei laudem, et locorum utilitatem salubriter visitare valeant. Sub nomine autem Regularium, etiam Moniales, cujusvis sint regulæ, et observantiæ comprehendi volumus. Omne denique studium Cardinales ipsi impendant, ut ab inferioribus erga superiores debita humilitas, et obedientia, ac vicissima a superioribus erga illos paterna benevolentia in multa charitate, et disciplina, in spiritu lenitatis adhibeatur, neve dominantur inter fratres, sed Superiores ipsi Patres se esse meminerint. Postremo eosdem Cardinales quasi Religiosorum omnium tutissimum perfugium esse volumus, ut eorum auctoritate, et auxilio recreati, studium religiosæ vitæ, et regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant. »

(42. Constat hæc Congregatio ex solis Cardinalibus et ex uno Prælo, qui est a secretis, et qui decreta subscribere debet una cum Congregationis Præfecto, qui etiam suo sigillo signare ea debet; quibus prætermismissis formalitatibus, authentica decreta haberi non possunt. (43. Juxta mentem Sixti V., ut observat Cardinalis de Luca, hæc Congregatio more Principis, absque strepitu

et figura judicii, et absque processu vel tela judiciaria, summarie, sola facti veritate inspecta, et quandoque, imo frequentius, etiam per solas extrajudiciales ac secretas informationes, controversias terminat, prudentiales regulas adhibendo potius, quam rigores legales. In negotiis regularium pro informatione rescribi solet Procuratori Religionis, aut ipso Generali; qua obtenta, si una Partium illam impugnet, aliæ adhibentur diligentia. Alia ad hanc Congregationem pertinentia vide Card. de Luca lib. 13. par. 2. rel. cur. disc. 16. qui late disserit de variis ejus negotiis, et de more quem sequitur in decisionibus et executionibus suorum decretorum.

CONGREGATIO DE DISCIPLINA.

(44. Sed cum Congregatio Epis. et Regularium omnibus negotiis sufficere non posset, aliam adjunxit Innocentius XII, quam de Regulari Disciplina nuncupavit. Hujus Congregationis institutionem, facultates, variasque vicissitudines reperies in duobus sequentibus constitutionibus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

(45. Debitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Christi fidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, curam gerentes, ad ea, per quæ Regularis illorum observantia, atque Disciplina opportunis rationibus sarta tecta custodiri, et sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparari valeat favorabiliter intendamus, concessæque Nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate desuper interponamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac spiritualem Populi Christiani ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Cum itaque Nos alias sanctum et salutare Ecclesiæque Dei maxime fructuosum Regulari Disciplinæ instaurandæ opus aggressi, Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum super eadem Disciplina Regulari, specialiter deputaverimus, ipsaque Congregatio sic deputata plura hæcenus, et quidem valde utilia, atque opportuna hæc in re Decreta ediderit; verum sicut non sine gravi animi Nostri molestia accepimus, tametsi Decretorum hujusmodi observantia in plerisque Religiosorum Virorum Monasteriis, seu Conventibus prospere, et feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi uberior in dies electi sanctorum operum frumentum messis, benedicente Domino, exurgat, non eosdem tamen alibi cœleste idem semen afferat fructus; neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini supereminare zizania, quæ Patrifamilias sementem suffocant: hinc est quod Nos pro-

pheticus illius moniti memores — *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam* — ut constans, enixaque voluntas Nostra incœptum opus hujusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis ac magis omnibus innotescat, omnisque transgressoribus vano, falsoque silentii Nostri prætextu sese excusandi occasio penitus præcidatur: Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostrorum, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictam Congregationem Cardinalium, et Prælatorum super Disciplina Regulari a Nobis, ut præferatur, deputatorum, ac in futurum tam a Nobis quam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus deputandorum tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis, et irrefragabilis Apostolici muniminis vim, robur et præsidium adjungimus; et nihilominus eandem Congregationem Cardinalium, et Prælatorum super Disciplina Regulari denuo quatenus opus sit, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Ipsius autem Congregationis a Nobis sic confirmatæ, seu de novo erectæ, facultates sint, et esse debeant: intra fines Italiæ, et insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro Novitiatibus, et Professoriis, Conventibus, Monasteria, Collegia, ac Domos quorumcumque Monachorum, et Regularium Virorum cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam necessario exprimendi; necnon Novitiatus, et Professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, et supprimendi, prout utilitas, et necessitas postulaverit, ac exegerit; dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum, et Professionem: Decretatum felic. recor. Clementis Papæ VIII, prædecessoris Nostri super Reformationem Regularium, ac præsertim ea quæ Institutionem et educationem Novitiorum concernunt, tum ab ipsa Congregatione super Disciplina Regulari die 18. Julii 1695. jussu Nostro edita exequendi; quascumque inde emergentes controversias decidendi; potissimum vero exactæ Vitæ communis observantiam promovendi; atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum et Domorum hujusmodi foundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem Vita communis, juxta ultimum dictorum Decretorum præscriptum, perpetuo, et exacte servari valeat; omnia demum, et singula faciendi, ordinandi, decernendi, statuendi, et exequendi, quæ ad eandem disciplinam Regularem efficaciter stabilendam, sive restituendam quomodolibet pertinere possunt, et in præmissis omnibus etiam poenis, et censuris Ecclesiasticis procedendi. Cæterum, quia sicuti nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum etiam Nostrorum vestigiis inhærentes, Regularibus Italiæ, Insularumque adjacentium, utpote

Nobis prioribus, ac veluti ante oculos hujus Sanctæ Sedis constitutis, quosque proinde cæteris Religiosæ Vitæ exemplo præluere maxime decet, præcipuam quamdam Apostolici muneris Nostri sollicitudinem impendendam esse duximus, ita reliquos omnes Religiosos Viros toto Orbe diffusos, Nostræque speciali curæ subjectos minime negligendos putamus, tam enim iis, qui longe quam illis, qui prope sunt, debitores Nos esse cognoscimus, earumdem tenore præsentium præcipimus, et mandamus, et præcipuum, ac peculiare dictæ Congregationis munus, et cura sit Nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici ea jugiter suggerere, et proponere, quæ pro eorumdem Regularium ubicumque existentium cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, aut instituti sint, fovenda, seu reparanda Disciplina, felicibusque illorum in via Mandatorum Domini progressibus, et laudabilibus studiis juvandis necessaria et opportuna fore in Domino judicaverit. Quoniam vero de præsentibus etiam alia Congregatio nonnullorum Venerabilium itidem Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum pariter Filiorum Curie prædictæ Prælatorum super statu Regularium nuncupata dudum a rec. mem. Innocentio X instituta, ac Clemente IX, Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter nostris respective confirmata reperitur, eique plures ex prædictis facultatibus dictæ Congregationi super Disciplina Regulari per Nos, sicut præmittitur, concessis, attributæ fuerunt, ne aucto ejusmodi Congregationum numero rectum agendi ordinem confundi, atque inde Regulares Viros nimis distrahi adeoque ipsos ex iis, quæ pro salubri, prosperaque illorum directione provide, ac sapienter instituta fuerunt, perniciem potius, et incommodum, quod absit, experiri contingat, dictam Congregationem super statu Regularium motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus harum serie similiter perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus; omnes vero, et singulas facultates ipsi Congregationi super statu Regularium quomodocumque, et quomodocumque concessas, iis dumtaxat exceptis, quas memoratæ Congregationi super Disciplina Regulari, sicut præmittitur, impertiti fuimus, in Congregationem Venerabilium etiam Fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositam perpetuo itidem transferimus, et transportamus.

Decernentes easdem præsentibus Literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætententes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, et Dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, et alias specifica, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentibus emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quan-

tumvis juridica, pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvari posse, sed ipsas præsententes Literas semper firmas, validas, et efficaces, existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime, et perpetuo suffragari, et ab eis respective inviolabiliter, et inconcusse observari: Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et tunc, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, illorumque Superioribus, et personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus

pro p'ene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides in Judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die 4. Augusti 1698. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

PIUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.

(46. Singulari providentia Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum factum est, ut nihil jam ad perfectam regularis disciplinæ observantiam deesse videatur, si ea sedulo custodiantur, atque servantur, quæ de admissione, rectaque institutione novitiorum, de professionibus rite emittendis, de religiosa vita communi, deque interiori monasteriorum, et conventuum regimine optime, sapienterque ab iisdem prædecessoribus Nostris constituta sunt, præsertim vero a fel. rec. Clemente VIII. in suis generalibus decretis de reformatione regularium. Quoniam vero congregatio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium universis negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præposita non satis commode potuisset tantis rebus præesse, opportunum ideo visum fuit præcipuam curam reformationis, et disciplinæ regularium alteri congregationi peculiari demandare.

Quæ duæ sapientissimæ congregationes tanto semper studio inchoaverunt optimo regimini rerum, personarumque ordinum regularium, ut nihil certe desiderandum reliquerint. Verum quia facultates tributæ Congregationi disciplinæ regularis, vel non satis certis limitibus constitutæ fuerunt, vel deinceps per consuetudinem quodammodo ampliatae sunt, hinc non infrequenter evenit, ut eisdem de rebus modo ad unam, modo ad aliam ex dictis Congregationibus delatæ fuerint supplicationes, aut controversiæ; ita ut regulares ipsi quandoque nesciant, utra ex Congregationibus sit adeunda. Quod cum non leve afferat incommodum memoratis Congregationibus, rectique ordinis perturbationem facile nimis inducat, necessarium ideo duximus facultates Congregationis super disciplina regulari deputatæ intra certos limites coercere, quibus constitutis, facile quisque intelliget, reliqua omnia regularium negotia ad Congregationem alteram Episcoporum, et Regularium omnino pertinere.

Primo igitur vestigiis memorati prædecessoris Nostri Innocentii PP. XII. inhærentes Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ po-

te tatis plenitudine prædictæ Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, ac delectorum filiorum Romanæ curiæ prælatorum super disciplina regulari specialiter deputatæ confirmamus facultates intra fines Italiæ, et insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro novitiis, et professoriis conventus, monasteria, collegia, ac domos quorumcumque monachorum, et regularium virorum cujusque ordinis, Congregationis, societatis, instituti, tam mendicantium, quam non mendicantium etiam necessario exprimendi, nec non novitiatus, et professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, et supprimendi, prout utilitas, et necessitas postulare videbitur.

Firmas quoque eidem Congregationi manere volumus facultates dandi licentias superioribus regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in novitiis sic deputatis novitiis ad habitum, et professionem sub regulis, et formulis jam præscriptis, seu præscribendis, eaque omnia exequendi, quæ de novitiis, et professionibus statuta fuere, tum in decretis generalibus Clementis PP. VIII super reformatione regularium, tum in aliis peculiaribus decretis ab eadem Congregatione paulo post suam primævam deputationem editis sub die 18 Julii 1693 jussu ejusdem prædecessoris Nostri Innocentii PP. XII.

Quod autem pertinet ad reliqua omnia quæ in memoratis decretis generalibus super reformatione regularium statuta sunt, ea tantummodo ad eandem Congregationem pertinere declaramus, quæ respiciunt cujuscumque conventus, monasterii, collegii, ac domus monachorum, et regularium virorum interiorum disciplinam, præsertim circa observantiam perfectæ vitæ communis, et regularium cujusque ordinis, idque tum in conventibus, monasteriis, collegiis, ac domibus supradictis nunc existentibus, tum etiam vero in aliis noviter erigendis.

Atque in præmissis omnibus liceat quoque eidem Congregationi decidere quascumque inde emergentes controversias, necnon procedere etiam pœnis, et censuris ecclesiasticis.

Præterea cum felicis recordationis Clementis PP. XIV, prædecessor Noster, sub die 11 Junii 1769, venerabili fratri Gregorio Lascaris Patriarchæ Hierosolymitano tunc ejusdem Congregationis secretario specialiter communicaverit facultates, ut posset prædicta Congregatio in aliquibus casibus particularibus dispensare ab observantia regularum, et constitutionum cujusque ordinis utcumque confirmatarum auctoritate apostolica etiam cum clausula — *sublata* — et decreto irritanti, easdem quoque facultates intra infrascriptos limites confirmamus, ita ut liceat eidem congregationi concedere hujusmodi dispensationes, quotiescumque de voto superiorum regularium expedire videbitur; ipsas autem regulas, et constitutiones generaliter, ac perpetuo abrogare, aut quomodocumque reformare nunquam liceat, nisi accedente Nostra, et successorum Nostrorum apostolica auctoritate.

Hujusmodi tamen dispensationes, seu habilitationes, et sanationes ab eadem Congregatione justis de causis concedi solitas coercendas pariter esse volumus intra limites prædictarum facultatum, ita ut pertinere tantummodo debeant, vel ad novitiorum admissionem, institutionem, et professionem, vel ad officia regularium qui educationi, et institutioni novitiorum immediate præsumt, vel ad simplicem translationem novitiorum, et regularium professorum de uno ad alium conventum, sive etiam de una ad aliam provinciam ejusdem ordinis vel demum ad regulas, cujusque ordinis respicientes tamen interiorum regularem disciplinam intra conventus, monasteria, collegia, ac domos apprimè servandam.

Has, et non alias facultates proprias esse volumus Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, et delectorum filiorum Romanæ curiæ Prælatorum super disciplina regulari deputatæ intra fines Italiæ, et insularum adjacentium quoad monasteria, conventus, collegia, et domos regularium, quorum tamen nomine minime comprehendere volumus monasteria monialium, collegia, conservatoria, et societates mulierum super quibus nulla unquam data fuit huic Congregationi potestas. Cæterum eidem Congregationi firmum manere præcipimus alterum etiam singulare munus a memorato prædecessore Nostro Innocentio PP. XII eidem demandatum, proponendi nimirum pro tempore existenti Romano Pontifici ea omnia, quæ ad fovendam reparandamque disciplinam regularium virorum etiam ultra fines Italiæ ubicumque existentium, cujuscumque ordinis, Congregationis, societatis, aut instituti sint, necessaria et opportuna fore in Domino judicaverit.

Cæteras autem facultates quascumque præter superius expressas, si quas antea dicta Congregatio habuerat, aut exercuerat, sive circa electiones superiorum regularium in capitulis generalibus et provincialibus faciendas, sive circa personas regularium quacumque de causa extra claustra degentium, sive circa œconomicum regimen cujusque conventus, monasterii, collegii, ac domus regularis, sive circa numerum regularium in quovis conventu, monasterio, collegio, ac domo pro modo annuorum reddituum constituendum, sive circa fundationes, uniones, dismembrationes ac suppressiones conventuum, monasteriorum, collegiorum, ac domorum regularium, in quibus neque novitiatus, neque professoria exercentur, sive demum alia quæcumque negotia quorumcumque regularium, eas omnes transferimus, ac pertinere declaramus ad alteram Congregationem ven. itidem Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium, præpositam.

Quamobrem utrique Congregationi, præsertim vero earum pro tempore præfectis, et secretariis, vehementer commendamus, ut suis quæque utatur facultatibus in tanto hoc, tanque laborioso regularium regimine, utquæ